

MEISNE

1019

OLL

NIEN-



Hunc librum Musis
suis inservientem
iure possidet
Theodor Mahlmann

Comparati mihi
Witzeb.
p. mat. 12. q.
p. hinc. 4. q.
Al. Joh. Reipol.
1624.

COLLEGII
DE SACRAMENTIS
Disputatio Octava

De
SACRAMENTIS
NOVIS EORUM DIFFE-
rentià Veteribus, convenientia ex
ijs, & numero.

Quam
Annuente JEHOVAH
SUB PRÆSIDIO

Dn. BALTHASARIS MEISNERI
S. S. Theol. D. & P. P.

In Collegio privato examinandam
proponit

M. LAURENTIUS SCHMIDT Brande-
burgo-Marchicus.

Habebitur die 1. Octobr. horis pomeridianis
in Auditorio minori.



WITTEBERGÆ,
Ex Officina Viduæ Iohannis Matthæi
ANNO M, DC. XX.

COLLEGI

DE SACRAMENTIS

Dissertatio Octava

SACRAMENTIS

NOVIS FORUM DIFFER-

entia Veribus, conveniatis ex

istis & p[ro]p[ri]is

Appendice J. NOVAN

Dr. BALTHASARIS MEISNERI

Magistri & P. P.

In Collegio P[ro]vincio[rum] examinandam

proponit

M. LAURENTIUS STIMMIDT 8-1785

Mag. & P. P.

Habituarius die 1. Octobr. 1785

in Augustae Curia



WITTEB[ER]G

Ex Officina Johannis Matthiae

ANNO M. DC. LXXXV



CONTINUATIO.

Dispecta haecenus definitione Sacramenti genuina in genere considerataq; Sacramentorum materia & forma, item eorundem fine & effectu, insimul peculiariter instituta Sacramentorum V.T, utpote Circumcisionis & Agni Paschalis, consideratione accuratiori. Antequam peculiariter N.T. Sacramenta oculis mentalibus penitus aspiciamus: Condecet prius analogiam & differentiam utriusque T. Sacramentorum substituere; adhibito Sacramentorum N.T. numero binario, probatissimo. Cui conatus Dominus acclamet augustissime.

THESIS.

I. Ut Dominus Verbum suum gratiosum hominibus manifestavit, ita pro ratione temporis diversimode. In V.T. quadantenus obscure in vaticiniis, sacrificiis & typis. In N. clarius, in complemento Rom. 16. v. 20. Etrobique interim sigilla quedam appendere voluit. Voluit, inquam, quia, ut Hugo de S. Vict. lib. 1. c. 4. scribit, potuit DEUS hominem salvare, etsi ista non instituisset: Quare quod instituit, id in nostrum emolumentum, & ipsius encomium de ineffabili charitate & benigna voluntate in constituendis mediis ad facilius eò & fortius applicandam in Inviduo gratiam maxime vergit.

II. Quòd autem ista sigilla seu Sacramenta attinet, Autorem alium præter DEUM non agnoscunt. Ut enim Dominus articulos fidei promulgavit, ita eorundem sigilla

A 2 consti-

constituere solus voluit. Conveniunt itaq; V. & N. T. Sa-
cramenta i. Autore seu causa instituyente Domino.
In nullius ergo hominis potestate est, condere vel articu-
lum fidei, vel Sacramentum.

III. Vt in V. T. non nisi Duo propriè dicta Sacra-
menta à Domino instituta fuerunt: Ita & in N. T. nec
plura nec pauciora reperuntur. Et quidem ut ibi fuerunt
Circumcisio, & Agnus Paschalis: Sic hîc sunt Ba-
ptismus & Cœna Domini.

IV. Vt in V. T. quodlibet Sacramentum constitit du-
abus partibus substantialibus seu essentialibus, una cœ-
lesti, altera terrestri seu externa: Sic & in N. T. tot & ta-
libus partibus, re scilicet cœlesti & terrena, constat.

V. Vt Sacramentorum V. T. ratione objecti, scilicet
ratione usurpantium, vel infantium, alterum initiatio-
nis, alterum confirmationis, vel respectu adultorum
utrumque confirmationis fuit. Sic & in N. T. Baptis-
mus infantibus est Sacramentum initiationis seu conse-
cranda aut applicanda fidei: Baptismus & Cœna Do-
mini adultis gratiæ confirmanda. Adhæc conveniunt obe-
dientia & gratitudine fidelium, ad quam utriusque
T. Sacramenta obligant.

VI. Vt Sacramenta V. T. ad Ecclesiæ membra se ex-
tendebant duntaxat, ad nullum extraneorum. Exod. 12. v.
44. 48. Ita & ad N. T. Sacramenta non nisi qui sit mem-
brum & civis Ecclesiæ admittitur.

VII. Vt Sacramenta V. T. ratione mandati & in-
digiæ usurpata necessaria fuerunt, & quidem
ita, ut sp. ciatim de Circumcisione pronunciârit J E H O
V A H

V A H Gen. 17. v. 14. Masculus, cuius præputiis caro circum-
cisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pa-
ctum meum irritum fecit. Sic quoque res sese habet in N.
T. Et in specie etiam legimus de necessitate Baptismi Joh.
3. v. 5. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non pot-
est introire in regnum D E I. Observandum autem hoc
loco, istam necessitatem non impedire eorum salutem, qui
vel inopinata morte præventi, vel alio prævalente casu im-
pediti ad eorundem usurpationem pertingere non valent.
Siquidem non privatio, sed contemptus Sacramen-
torum damnat, ut habet Regula antiqua.

· I I X. Falsò proinde statuunt Calviniani eo-
rumque amicissimi, Sacramenta ad salutem conse-
quendam eternam non esse necessaria, quia non sint cau-
sa, sed signum gratiæ vid. Bucan. Loc. 46, q. 59. Edit. Genev.
1617. p. 596. Calv. lib. 4. instit. cap. 15. §. 20. sub fin. Trécat.
Jun. lib. 2. Loc. 10. Edit. Lugdun. 1614. p. 164. Infanti neces-
sarius est Baptismus, non simpliciter ad invisibilem, sed se-
cundum quid ad VISIBILEM institutionem ipsius IESU
CHRISTUM & corpus Ecclesiæ. Quam si articulus nec-
cessitatis excludat, invisibiliter sine Baptismo impletur,
quod aliàs in Baptismo visibili demonstratur. No-
stram verò sententiam quò brevi declaremus, dicimus Sac-
ramenta non tantum ob infirmitatis nostræ sublevamen,
sed etiam ob divini institutionis ac usurpationis severum
dictamen necessariò usurpanda esse. Siquidem non sunt
signa nuda σημεῖα, sed maxime ἔργα θεοῦ ἡρώδου,
quod probare multis hoc loco non convenit. Malè proin-
de docet Bucan. c. 1. ita informans quæstionem: An Sac-

et remittunt peccata, & conferunt aut continent
gratiam, & ad iustificandum & regenerandum instituta
sunt, seu an gratia est alligata Sacramentis; Quae la-
lutio postrema importare videtur absolutam seu inevita-
bilem necessitatem precise quocunque respectu ad usur-
panda Sacramenta, nec non vim seu efficaciam Sacra-
menti in conferendo gratiam propriam & immediatam
per se, id quod & nos negamus. Sed quatenus ista phrasis
per precedentem explicatur, an Sacramenta conferant
gratiam, & ad iustificandum & regenerandum institu-
ta sint, tunc immerito cum symmistis negativam arripit
Bucanus, exilibus sanè motus rationibus. 1. enim est:
Quia Sacramenta sunt signa, non causa gratiae.
Quae laborat ambiguitate, tum quoad causam. Vt falsissi-
mum planè refutatum toties Sacramenta N. T. potissi-
mum esse signa mera adumbrativa, significativa, obigna-
tiva. Et sufficiat annotare Baptismi efficaciam ex Epist.
Petr. 1. cap. 3. v. 21. ubi salvatio seu tō salvare nos attri-
buitur Baptismo. Sic Christus ipse regenerationem ad-
scribit eidem Ioh. 3. v. 5. Nisi quis renatus fuerit ex a-
qua & spiritu, non potest introire in regnum Dei. 2.
Quod Dei proprium sit. R. Deus est causa principaliter
causans, & operans conferensq; gratiam, per sacra-
menta, tanquam media huius gratia operativa, per quae
gratiam offerre & conferre ipsi complacitum, nobis con-
ducibile & necessarium est. Confunditur igitur causa
principaliter efficiens, cū causa instrumentali exinde suo
modo agenti. 3. Subjectum gratiae non est corpus,
sed spiritus. R. Ut anima non duntaxat, sed totus ho-

mo in peccatis conceptus & natus subjectum corruptionis
est. Itaque non anima tantum, sed totus homo subjectum
recipiendi gratiam regenerationis; & justificationis
erit.

IX. Quo denique analogiam V. & N. T. sacram:
compleamus, complacet aliquid addere de administra-
tionis modo, qui generatim conspicitur 1. ratione loci,
2. ratione administrantis, 3. ratione iterationis actus.
Analogiam ratione loci quod attinet, ut administra-
ta fuerunt privatim, V. T. Sacram: ita & nostra Sacram:
licet ob decentiam & usum consuetum publice in templo
sint administranda, in casu necessitatis privatim recte ad-
ministrari possunt. Valde igitur inepte reprehendunt nos
Calviniani inquiringes non convenire Sacramentum Cœne
Dominica potissimum privatis aedibus administrari Vid.
Bucan: Loc: 47. q. 64. Edit. Genev. 1617. p. 582. Vrsin.
part. 2. Expl: Catech. q. 75. num. 1. Edit. Heidelb. 1612.
p. 438. &c.

X. Analogiam ratione administrantis quod at-
tinet, est isthæc. Ut in V. T. non quilibet de utroque sexu
sed ordinariè tantum è sexu masculino quidam ordina-
ti sacramentum administrarunt. Sic in N. T. nemini ne-
si legitime è sexu mascul. ad officium Sacerdot. vocato,
ac ordinato ordinariè Sacramentum vel Baptismi vel
Cœne Dom. administrandi copia data est. Verum extra
hunc scopum necessitate ita es flagis arte, non tantum è
sexu masculino, sed & femineo Persona, modo administra-
tionis aliàs integro, uti in V. T. Zipora circumcidit filium
Exod. 4. v. 25. Vid. 1. Macchab. 1. v. 63. 2. c. 6. v. 10. sic in N.

Sacramentum Baptismi administrare potest. Quare in hac etiam parte injustè à Calv. quibus negativa unice arripit, accusamur. Vid. Calv. lib. 4. inst. c. 15. §. 21, 22. Bezo. in colloq; Mompelg. Edit. Tubing. 1594. 435. Buc. Loc. 46. q. 61. p. 597. Trelcat. Jun. l. 2. Loc. 10. Edit. Lugd. 1614. p. 147. Matth. Mart. tr. de fœd. tr. 5. c. 17. p. 328.

XI. Analog. rat. iterationis actus tandem quod spectat: ut in V. T. Sacram. Circumcis. cuilibet semel tantum administratum, Agni Paschalis autem sæpius usurpatum. Sic in N. T. Baptismus semel legitime administratus reiterari non debet: Cœna interim prædocente scriptura, 1. Corinth. 11. v. 25. Et tantum de analogia.

XI. Ut ut magna convenientia inter Sacram. utriusque T. reperitur: Magna tamen utidem conspicitur Differentia Et quiddam i. ratione Autoris. Quamvis th. 2. hominibus denegatum sit condere Sacram. Dominoq; unice competens prædicatum. Interim opera Trinit. ad extra sunt indivisa ratione ordinis primariæve prædicationis observata.

XIII. Quo præsupposito, differunt V. & N. T. Sacram. in eo, quod illa à Deo instituta legantur Gen. 17. v. 10. 11. & c. Exo. 12. per tot. Isthorum a. prius à Patre Joh. 1. v. 33. & à Filio expressè Matth. 28. v. 19. Posterius à Filio ratione expressè prædicationis, Matth. 26. v. 26. Luc. 22. v. 19. 20. 1. Corinth. 11. v. 24.

XIV. Demde licet eatenus convenient, quod quodlibet Sacram: duabus constat partibus, re cœlesti & terrena. quodlibet tamen descendit proprias & peculiare, prout ex cujuslibet institutione patet.

XV. Ulterâ

XV. Ulterius reperitur differ. quoad objectum. V. T. Sacram. respiciebant populum Judaicum, N. T. autem ad nullum certum populum restricta sunt, & respiciunt omnes populos.

XVI. Forma non minus diversa est. Quodlibet enim Sacram. peculiarem administrationis modum prescripsum habet. Hicq; not. quod in Vet. Test. fuerit cruentus, in N. incruentus. Sic V. T. Sacram. durabant ad tempus Mesosie N. T. ad finem seculi. Non minus aliquid discrepantie redundat exinde, quod Augustinus lib. 19. contra Faust. c. 13. scripsit: Sacramenta nostra virtute esse maiora, utilitate meliora, actu faciliora. Desuper non restricta ad certum diem, ut illa.

XVII. Differentia tandem maximè in eo est, quòd Vet. Test. Sacram. umbris & figuris, quibus Nov. T. carent, constiterint. Nam quale Testamentum est, talia etiam sunt Sacramenta, quippe illius sigilla. Vet. autem Test. duntaxat umbras habuit & figuras Christum representantes. N. verò ejusdem umbris caret presentemq; offert, & iam exhibitum in carne Christum: Id quod tuculenter evincit dictum Coloss. 2. v. 16. Vbi per res futuras intelligitur vel eterna gloria, vel spiritualis gratia, vel DEI Filius incarnatus. Non gloria, quia nec Christiani in Nov. Test. viventes ejus fiunt participes in hoc seculo. Non gratia, quia hæc non defuit credentibus in Vet. Test. Act. 15. v. 11. Ergò Filius DEI incarnatus, vel Christus secundum carnem. Ex quo colligimus, Sacramentorum V. & N. federis non unam & e-

eandem sed maximè diversam, esse substantiam.
Falsò proinde docent Calvin: rem significatam seu
substantiam eandem esse, Christum videlicet, Sacram. V. &
N. T. Vid. Sadeel de Sacrament. manducat. cap. 4. Respon.
ad obj. 4. Edit. 1593. 300. p. 301. Vrsin. in Expl. Catech. q. 66.
num. 5. Edit. Heidelb. 1612. p. 403. Keck. lib. 3. syst. Th. c. 8. E-
dit. Hanov. 1616. p. 368. Bucan. Loc. 46. q. 53. p. 591. Trel.
cat. Jen. lib. 2. Loc. 9. Edit. Lugd. 1614. p. 144. Res quippe
signata vel explicatur pro altera parte cœlesti, & ita si-
gnum est elementum, pars terrena altera. Vel sumitur pro
fructu totius Sacramenti, qua acceptione signum indigi-
tandum totum Sacramentum, ratione essentia, signatum
verò fructus, qui pro ratione Sacramenti & usurpatis vel
est collatio fidei, applicatio gratia, remissio peccatorum, vel
confirmatio fidei, augmentum gratia &c, quæ omnia non
nisi ob Christum, tanquam fundamentum salutis nostræ uni-
cum nobis obtingunt. Est itaque Christus terminus & Sco-
pus communis non tantum Sacramentorum N. sed & V.
T. quin & Evangelicæ prædicationis. Media interim, qui-
bus Christus sit noster, ejusq; beneficia nobis applicantur,
non sunt una & eadem ratione essentia & peculiaris suo
modo operationis. Id quod ex cujuslibet Sacram. institu-
tione propria petendum. Concedimus ergò Sacra-
mentorum V. & N. T. esse eandem rationem gene-
ralem, quoad fructum communem: Non autem
quoad substantiam. Nam hæc in parte tantum utro-
bique regnat discrepantia, quantum inter figuras & rei fig-
urate substantiam. Merè lubricam quare & confictum
Calvin. fundamentum est, eandem substantiam esse Sa-
CRAM.

eram. V. & N. T. Monstrent fundamentum istius enun-
ciati: Vbi nam locorum loquitur Sp. S. seu Christus de tali
communi ratione, cum ne Sacramenti vocab. ob propriam
contestificationem reperiatur in S. Cadit insimul ista
conficta Calv. sententia, eandem esse prædican-
di rationem, Metonymicam, in omnibus Sacra-
mentis. Vid. Pare. Comm. in 2. ad Cor. c. 11. Edit. Francof.
1609. col. 834. lit. A. Bucan. Loc. 46. q. 53. & 54. p. 591. & c.
Loc. 48. q. 58. p. 689. Sadeel. de Sacram. mand. c. 4. Edit.
1593. p. 284. 285. Explicant istam Sacramental. locut. ut
videre est apud Vrsin, part. 2. Expl. Catech. de Sacram. in
gen. num. 8. Edit. Heidelb. 1612. p. 406. ita: Locutio
Sacram. est, qua nomen aut proprietas signi imponitur
significato vel contra per Metonym. Sacram. & c. Ex. G.
Circumcisio est foedus. Verum vox circumcis. accipitur
1. pro integro Sacramento. 2. pro parte tant: Sacram pro
amputatione preputij ac nota carni impressa. Priori mo-
do dicitur foedus, post. signum federis. Respectu 1. nulla in-
est Metonym. resp. 2. non reperitur ita informata. Reli-
quum X. Agnus est transitus non extat in I. Possunt
ita nulla ratione talem Metonym. predicat. Sacramental.
probatam dare. Immo si naturam prædicationum Meto-
nym. accuratius examinemus, reperimus, signum pro si-
gnato poni, non autem de signato prædicari & quidem in
casu recto. Desuper si possent (vix tamen poterunt) i-
stam probare in V. T. probent in N. T. Nos concludimus,
quod doctrina generalis de Sacram. nusquam gene-
raliter tradatur in S. 2. quod de quolibet Sacram.
judi-

judicandum sit ex peculiari propria institutionis
fede.

XVIII. Restat aliquid pro commodiore N.T. Sacram.
tractatione adponere de numero, qui binarius est.
1. Ob genuinorum propriissime dicti Sacramenti requisi-
torum competentiam. Specificantur quidem ab Auto-
ribus quoad numerum diversa, quoad rem autem eadem.
Vide Chemn. part. 2. Exam. Conc. T. C. de num. Sacram.
p. 14. Edit. Francof. in 8. Hutter. L. Th. art. 17. c. 4. p.
624. Dn. Pras. part. 2. Phil. Sobr. sect. 2. c. 1. q. 1. placet
isthaec ponere. 1. Sit iste ritus Sacram. ab ipso Christo in-
stitutus. 2. Tempore N. T. 3. Habeat elementum visi-
bile externum. 4. Habeat annexam rem invisibilem
coelestem, quae cum elemento visibil. copulatur. 5. Habeat ver-
bum mandati & promissionis, non quidem cuiusvis: Sed
gratiae Evangelicae, gratuita reconciliationis, remissionis
peccatorum & quae per Sacram. offertur singulis utentibus
confertur solis credentibus. 6. Duret usque ad consum-
mationem seculi.

XIX. 2. Ob collationem cum V. T. Sacram. quae con-
sistit in eo, quod duo tantum, & quidem unum initiatio-
nis, alterum confirmationis organon efficax, fuerint. Sic
& in Nov. T. nec plura, nec pauciora Christus instituere
voluit, ita ut Baptismus respondeat ratione initiationis
Circumcisioni: Coena Dom. ratione Confirmationis A-
gno Paschali. Ut igitur in illis nihil defuit ad promoven-
dam salutem, ita nec in hisce N. T. deest.

XX. 3. Ob

XX. 3. Ob dictum 1. Johan. 5, v. 8. Et tres sunt qui testimonium dant in terra: Spiritus, & aqua & sanguis. Jam explicatur vox spiritus pro predicatione Evangel. Aqua pro Baptismo. Sanguis pro Cæna Dom. Quæ explicatio quibusdam Calv. Polano in annot: super h. l. Aret. comment. super h. l. Vorst. in AntiBellarm. contracto p. 392. & ipsi Bellarm. tom. 3. lib. 2. c. 27. sub lit. probatur. Colligimus proinde. Aut duo tantum sunt Sacram. N. T. Baptismus & Cæna Dom. aut sunt plures testes in terris præter illos tres. Poster. repugnat D. Johan. E. prius est affirmandum.

XXI. Addunt nonnulli v. 6. ejusdem Ep. Job. caput 19. v. 34. Evang. ubi Christus dicitur venisse per aquam & sanguinem, dum ex latere Christi lancea militis aperto exivit aqua & sanguis, quibus duo N. T. Sacramenta notari pia vetustas credidit. Vid. August. lib. 1. de Civ. Dei. cap. 26.

XXII. Falsò igitur docent Pontificij & Jesuitæ plura duobus reperiri, & quidem septem, utpote Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam unctionem, Ordinem & Matrimonium. Vid. Bellarm. tom. 3. lib. 2. c. 24. Neutrum siquidem super additorum vera requisita ante commemorata continet. Nec obstat quod Apolog. A. C. art. 13. Absolutionem etiam inter Sacramenta refert. Fit enim 1. ob finem Sacramentorum generalem, qui est confirmatio fidei nostræ de remissione peccatorum, quem absolutio cum Sacramentis communem habet, ut in qua
figilla-

figillatim cuiuslibet confitentis remissio peccatorum denun-
ciatur. 2. Latiori vocis Sacram. significatu. Adhuc non
esse propriè dictum Sacram. Patet 1. Quia communis est
V. & N. T. Nullum autem Sacram. Vtrique fœderi com-
mune est, sed alterutri semper convenit. 2. Quia omne Sa-
crament. potest esse verum atque integrum absque fide,
id quod de pœnitentia falsum &c. Not. quòd Bellarm.
lib. 1. de pœnit. c. 16. scribat. Illam (absolutionem) habe-
re quasi materiam, & quasi formam, unde nos concludi-
mus, quòd sit & quasi Sacram. id est, non verum propriè
dictum. Nec obstat, quòd Eph. 5, v. 32. Matrimonium
dicatur $\mu\upsilon\sigma\tau\eta\rho\iota\omicron\nu$, quòd rem quamvis arcanam denotat.
Quodlibet autem mysterium Sacramentum non constitu-
it. Desuper confert Apostolus matrimonium cum ar-
tissima copulatione Christi & Ecclesia, atque hoc dicit
magnum esse mysterium. Quòd autem Matrimon. non
sit propriè dictum Sacram. constat 1. Quia deest exter-
num & visibile elementum. 2. Pars altera cœlestis, quia
non est institutum ut esset sigillum iustitiæ fidei, sed ut le-
gitimæ propagationi hominum inserviret. Vera fuere inter
Gentiles et: conjugia, ubi tamen absuit omnis spiritua-
lis gratia. Et cur carnalem statum vocant, cur Clerico-
cos ab illo arcent, si Sacramentum. Anne Sacramen-
tum unum alteri contrarium est, ut ordini conjugium?
4. Reperitur in V. & Nov. Test. in Ecclesia & extra Ec-
clesiam; Sacramenta verò soli Ecclesie & certo testamento
sunt propria. 5. Tali ratione Magistratus vocari posset
Sacramentum, quia solenniter inauguratur, nec deest
promissio;


promissio; unde dicuntur *Dij & filij excelsi Psalm. 82.*
vers. 4.

De Confirmatione notandum, quod scribat
Bellarminus lib. 1. de Sacrament. cap. 23. Omnia N. T.
Sacram. à Christo immediatè fuisse instituta, & hoc vel-
le C. T. sess. 7. can. 1. Addat q³ non ipsi Apostoli institue-
runt, sed solum promulgârunt Sacram. à Christo insti-
tuta. Jam monstret vel unicum locum, ubi fiat mentio in-
stituti à Christo *Chrismatis*. Ad loc. Act. 8. v. 17. *substantia-*
lia Confirmat. Papist. specificari Chrisma & signationem,
quorum inibi nullam fieri mentionem, quare pro Confir-
mat. non facit. Agit non de Sacramen. sed ritu Aposto-
lico, quo gratia extraordinaria, donum miraculerum,
quale non datur in Confirmat. collatum. Desuper in
Confirm. Papist. horrenda nominis divini abusus est; quan-
do nefandis exorcismis & magicis incantationibus suum
Chrisma conficiunt &c. Sic Extrema unctio caret
immediata Christi institutione & omni promissione. 2.
Destituitur parte altera, cœlesti. Locus Jac. 5. v. 14. 15.
Pontificiis nō patrocinatur, Agit n. de infirmitate corporis
Pontific. de infirmitate animæ: Ille de convaluturis: Hi de
certo morientibus. Ille de dono extraordinario ad tem-
pus durante in Ecclesia primit: Hi de ordinario Sacram.
&c. Ordinatio tandem 1. non est instituta immediatè
à Christo, 2. Non habet promissionem gratiæ annexam.
Quod spectat locum 1. Tim. 4. v. 14. non intelligitur
inibi gratiæ remissionis peccatorum, sed ministerij, quod
in ordinatione demandatur. 3. Non habet externum ri-
tum præter impositionem manuum, quæ absolutionis

confirmat. communis. Requiritur autem peculiario
4. Ordo similiter fuit in Vet. T. 5. caret parte cœ-
lesti. 6. Est tant. ceremonia & testimo-
nium ordinationis &c.

Τῶ Θεῶ δόξα.






Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



REGII
AMENTIS
Octava
MENTIS
UM DIFFE-
convenientia ex
mero.
JEHOVAH
ESIDIO
IS MEISNERI
D. & P.P.
examinandam
nit
SCHMIDT Brande-
archicus.
horis pomeridianis
minor.
ER GÆ,
Johannis Matthæi
DC. XX.

